

www.e-rara.ch

Tou makariou Ioannou tou Damaskēnou ekdosis akribēs tēs orthodoxou pisteōs

Johannes

Basileae, 1548

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-117608>

Ioannis Damasceni vita, per Ioannem patriarcham Hierosolymitanum conscripta, Ioan. Oecol. interprete.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



Onstueuerunt homines statuas erigere, & simulachra statuere, in honorem eorum qui animum diuina præditum imagine, uel in primæ conditionis puritate ac innocentia conseruauerunt: uel dilapsam & inquinatam, in statum pristinum reuocarunt. Quicumque autem huic cultus generi deditiores sunt, preciosioribus materijs, coloribusq; præcipuis, quatenus opibus ac artificio præstant, ad formas eorum expoliendas, & lineamenta signantius exprimenda contuntur, existimantes hac ratione maiestatem illorum honestius consecratum iri. Igitur si circa imaginum effigiarum tantopere probatur id genus studij, dignum ne fuerit, quod ipsorum bene præclareq; gesta negligantur, & incultæ iaceant historia: Non profecto. Nam ut interim concedatur simplicioribus uenia, qui qua possunt opera, tumultuaria diuorum acta conscribunt: disertitamen, ingenioq; polientes, nequaquam dignandi sunt uenia, si, quod faciunt, contemptui habent uitas sanctorum, præsertim si illorum spiritus ac uita inuigilauit libris, si curæ illis fuit, mentem ab ignorantia & obliuione, animam uero à perturbationibus motibusq; omnibus uindicare, si mundum lucubrationibus suis adornauerunt si mentes omnium illustrarunt: denique si non solum externarum disciplinarum gratia commendati, sed & paracleti iubar uberim adhuc effundant. Illorum unus, uel præstantissimis annumerandus est percelebris ille Ioannes, cui cognomen à Damasco ciuitate patria inditum. Erat ille firmamenti ecclesiastici luminare haud paruum, immo planè ingens atque perquam fulgidum. Neque in nocte hæreseos (quæ se ubique locorum diffuderat) tantum lucebat, sed & prorsus omnes male sentientium caligines dispellebat, libris uidelicet ac epistolis. Inguerant autem uniuerso orbi nox horrida atque profundæ tenebræ, ita ut obscurarentur uenerabilium imaginum præclaræ figuræ. Illarum autor fuit, non à triuio aliquis ac plebeius, qui in exigua tantum parte orbis militiam suam disseminaret: sed uir ille (ut sic dicam) manu fines orbis complectens, Romanorum uidelicet princeps. Is potentia inflatus, uel summa nitebatur, ut ad unam uenerandas imagines omnes, & locis in omnibus demoliri posset. Et capropter, imaginum cultores partim dilaniari faciebat, sicut leo rapiens & rugiens (uerè tam animo, quam corpore leo) partim in diuersa rugitu suo fugabat: atque adeo sæuiebat, ut fidelium plerique in subterraneis speluncis sese occulerent: existimarentq; tutius, leonibus ac draconibus conuiuere, quam cum illo illiusq; familiaribus habitare. Nonnulli etiam metu perterriti, usque in extremos orbis terminos procurrerunt. Leo enim rugiet, & quis non formidabit? Ab ipso inquam, quasi à conspectu colubri fugiebant. At Ioannes ille, non à leonina feritate, sed gratia nomen sortitus, spiritalique gratia plenus, aduersus singularem hunc serpentem, ut stomachari & exardescere cepit (ita autem stomachabatur, ut recte & uirtutem & zelum dixeris stomachationem) non ad Sauromatas cum Thracibus, neque ad columnas Herculis cum Constantinopolitanis profugit, neque ad desertiora loca ex palatijs transijt, propter rugitum leonis: sed & cum uersaretur Damasci, & cum monasticam in solitario Palæstina loco exerceret, strenuus & impavidus aduersus leonem depugnabat. Quamuis autem ille strenuissimus meus athleta, tanto locorum intervallo abesset à tyranno, libris tamen & sermonibus cor illius dissecabat, uelut triscupidibus hastis, quas igne spiritus sancti fabricabat, uitali aqua solidans. Caterum hæc congruentiore loco dilucidius explanabit sermo. Tanti ne ergo uiri memoriam atque uitam, quæ rusticæ ac tumultuario, & quod amplius, Arabicis & uerbis & literis comprehensa, sic despectui habendam permittemus? Nullo pacto. Recenseamus itaq; è qua radice (sæcunda nimirum est, quæcunque illa est) exortum sit germen hoc florentissimum, & quæ patria nobis se protulisse illud gloriatur. Damascus ciuitas illa est, quæ sicut primum uidit Paulum magnanimum cælo uagumq; impietatem deserere, & ex osore amatorem fieri Christi: ita & in uenerabili hoc uiro, non nihil decoris atque honestatis conspicata est, idq; aliquanto sælicius, neque enim ex aliena, in orthodoxam nostram religionem translatus est. Vnde ciuitas hæc, quia huius etiam radicem protulit, & à cunabulis deditiore opere in his quæ ad pietatem, quam quæ ad corporalem uitam spectant, enutricata est, pijs alendo sermonibus, recte de hoc suo germine gloriatur, extollitur & gaudet, longeq; iustus quam de omnibus alijs, quæ illi magnum nominis splendorem afferre uidentur. Nam licet commemorare mihi perpetuum clementissimi cæli temperamentum, amœna dulcium aquarum fluentia, & generosorum fructuum copiam, quibus illa dotibus gaudet: nihil tamè attruleris quod eam ita exaltet, gloriosamq; reddat, ut generosa uisuq; pulchra arbor illa quæ produxit, quæ propter aquarum exitum creuit, & sancti spiritus fructus in tempore dedit. Quorum adhuc aliqui restant recetes, immarcessibilesq; semper, uisu pulchri, gustatu dulces: quiq; non solum lætificent eos à quibus tanguntur & gustantur, sed & uelcentes impinguant, ac crescere faciunt, uirumq; spirituale & consummatum perficiunt. Adeo sortu hoc suo gloriosa effecta est Damascus ciuitas, ut in ullis alijs delicijs, quibus luxuriat. Ipsa enim tantum hunc uirum nobis dedit. Fuerunt autem illi & progenitores admodum pijs, quiq; in medio spinarum, pietatis florem, Christia-

naeque scientiae fragrantiam custodiebant unice. Ab eo enim tempore, quo in Agarenorum manus ciuitas uenit, soli ipsi Christianum nomen, ut praeclearam inuiolabilemque hereditate asseruabant, re-
 stitutum fidei nulla ex parte corrumpentes. Itaque in medijs hostibus, conspicuos atque uenerabi-
 les effecit uirtus, uel quod amplius, sicut apud Assyrios Deus ueram pietatem commendaturus,
 Daniele ad summos honores euegit: & sicut Iosephum in Aegypto cum captiuus esset, prae-
 fectum & dominum inter alienos inimicosque constituit: ita & pios Ioannis progenitores (quia per
 seuerabant in his quae Dei erant, nec cum alijs sicut arcus prauus subuertebantur) glorificator
 Dominus egregia gloria remunerauit, inter Sarracenos, ipsos in uulgarium operum iudices ac
 praefectos sublimans. Ita & hoc loco captiuus pietatem colentes, imperium in eos qui se ceperunt,
 obtinere. O stupenda prodigiosaque Dei miracula. Nihil uirtute sublimius, nihil pietate excelsius.
 Enimuero sicut signa in colle, immo sicut lumen in nocte, & sicut semen Israel, & sicut scintilla in
 cinere: ita genus progenitorum Ioannis in Damasco relictum est, quod praeclearam hanc fa-
 cem, totum orbem olim illustraturam, proferret. Et tale quidem inlyto illi, progenitorum stem-
 ma fuit. Pater uero mirum quam bonaradix, pietati uirtutibusque alijs deditus, maiorem in
 Deum charitatem declarando, parentes intecellere studebat. Et congruebat, ut eum qui in tan-
 tum uirtutis fastigium peruerturus erat, illustris quidam natiuitatis suae autor uicinior esset. Nam
 sicut in progressiuis structuris seruata proportionis ratio ad apicem adscensus est, ita & quae
 circa magnum, & magni nominis illum contigerunt, superna dispensatione & diuina prouiden-
 tia euenisse uidentur: id quod in Ioanne Baptista usu uenit. Quia enim praeter alijs prophetis refulsu-
 rus erat, ut operaretur sacramentum quod omne sacerdotium excelleret, nempe baptismum Domini
 mei, praedestinatum est a diuina prouidentia, ne ex uulgaribus parentibus nasceretur, sed ex sacer-
 dotali tribu, & ut propheta esset qui eum gigneret. Pari modo & Ioanni nostro diuina prouiden-
 tia patrem constituit, uirum maxime & religiosum & humanum. Equidem & ipse per uniuersam
 circumcirca regionem generalis uulgarium negociorum dispensator & praefectus constitutus
 est, tum quod uirtute, totiusque uitae honestate conspicuus, tum quod diuitijs plurimum abunda-
 bat. Quas non expeditabat in delicias, ebrietates, interpestiuosque alios sumptus: sed quantum sibi au-
 ri erat, & quicquid ex rebus alijs facile distrahere poterat, id totum in redemptionem captiuorum
 Christianorum impendebat. Erant autem sibi possessiones aliae immobiles plurimae, tam in Iu-
 daea, quam in Palaestina. Ex quibus quantum satis erat, in uitae suae usum referuabat. Porro Chri-
 stianis quae emerat, liberum sinebat uel apud se in locis quae deligebant habitare: uel libero lumine &
 pede, quoquo collibitum esset, proficisci. Talisque erat humanissimi uiri uirtus, ut multa possidens,
 ipsa haberet perinde ac possideret nihil, magis die noctisque sollicitus de his quae Deo conueniebant.
 In hunc modum se gerens, mercedem a Deo accepit, non hospitalitatis ut Abraham, sed huma-
 nitatis, partum scilicet admirabilem. Licet autem non ex promissione, ex diuina tamen praescien-
 tia & praedestinatione. Praenouerat enim Deus, qualis futurus erat Ioannes, atque praedefinie-
 rat ex hoc uiro nascendum, ut sic mercedem daret ei pro misericordia, qua graui captiuitate ten-
 tos, numerato aere libertati restituebat. Nascitur igitur ei puellus ille praeclearus, quem adhuc
 tenero corpusculo, regeneratione per spiritualem matrem, filium lucis fecit, rem agens tam diffi-
 cilem, & quam pauci inter gentes illas attentare sunt ausi. Proxima dein cura erat, ne puer litora
 lia piratarum studia addisceret, ne hastam dextra uibraret, ne sagittam ex arcu iacularetur, ne cum
 bestijs pugnaret aut luctaretur, sicque natiuam mansuetudinem in ferinam commutaret saeuitiam,
 uel solent qui turbatoris sunt animi, & furibundis aguntur motibus. Ad haec non quaerebatur a
 patre Ioanne alius quidam Chiron in montibus educatus, medullisque ceruorum pasci assuetus:
 sed uir inquirebatur, omnigenis disciplinis exercitatus, eloquentiaeque animae utili praeditus, ut qui
 talium institutionum alimentis puerum enutrirer. Cui sancto uiri uoto Deus clementer adspi-
 rans, effecit ut inueniret quod desideranter quaerebat. Modus autem inuentionis eius quod quaere-
 rebatur, is erat. Barbari Damascenorum, iuxta morem suum in maritima uicina incursionem fe-
 cerant, Christianis compluribus in praedam abactis. Ingressique nauibus mare, similiter pluri-
 mos ceperant. Eos ergo secum in ciuitatem adducentes, partim emptoribus uenales propo-
 nebant, partim ad exitium gladio petebant. In horum sorte connumeratus est uir quidam, habi-
 tu monachali uestitus, abactus ab Italia, ad specum quidem decenti, animo autem decentiori, id
 quod & nomen attestabatur. Cosmas enim uocabatur, licebatque ab honestate uultus, internam men-
 tis conditionem aestimare. Iam qui ad mortem rapiebantur, ad huius etiam pedes procide-
 bant, obsecrantes ut sua intercessione Deum sibi conciliaret, & a clementissimo remissionem
 peccatorum consequerentur. Id ubi animaduertenter Barbari, destinatos morti supplicare
 uiro, tam bene honesteque morato, accesserunt & rogauerunt, an quae illi mundana dignitas,
 & cuius apud Christianos autoritatis fuerit. At ille respondit: Non sum sacerdotio initiatus,
 neque dignitate aliqua functus, sed inutilis monachus sum, ac philosophiae professor, non no-
 strae tantum quae Deum amare docet, & quae Deum amamus, sed & eius quae ab exteris sapi-
 entibus tradita est. Haec ut locutus est, lachrymis supplebantur oculi. Non autem longum
 stabat pater Ioannis, qui uiso uiro sic lachrymante, accessit, calamitosumque consolaturus, ait:
 Homo, qua de causa desiles amissionem mundi, cui iam pridem renunciauisti, & quantum ex
 habitu

habitu coniectare licet, mortuus es: At monachus: Non huius, inquit, uitæ amissionem deploro: sum enim, ut dixisti, mundo mortuus. Hoc autem me contristat, quod omnifarijs scientijs imbutus sum, præmissis externarum disciplinarum fundamento. Linguam oratoria exercui, sermones dialecticis compendijs ac demonstrationibus doctus sum, moralia & quæ Stagyrites, & quæ Aristonis filius tradidit, tractaui. Naturalium cõsiderationes, quantum homini satis, contemplatus sum. Arithmetices quoq; rationes didici. Ad Geometriæ fastigium studio perueni. Musicæ proportionibus, conuenientibusq; rationibus probè & cum laude percepi: sed nec omisi intacta quæ de motu cœli, circumferentijsq; stellarum produntur: ut cognita magnitudine pulchritudineq; stellarum, inde ad conditoris contemplationem illis respondentem adfurgerem. Nam qui lymphidiorum creaturarum notitiam tenet, is & earum opificem clarius intelligit, & ob miraculū maioris facit. Hinc & ad sacramenta transij Theologia, tam eius quam Græci tradiderunt, quàm eius quæ absque errore ullo à nostris theologis manifestata est. Hanc cum mihi supellectilem abundè pararim, hæctenus tamen mihi denegatum est, ut alteri eam communicarem, & per philosophiam filium mihi similem generarem. Nam quemadmodū cateri ad propagandam generis successione amant naturalium filiorum partus: sic & philosophia dignè instructi, filiorum desiderio tenentur, quos eruditione disciplinarum suarum regenerent, ut & aurea illa philosophorum progenies, in seculum usq; salua constet. Caterum autores admirabilis eiusmodi partus, immortalē inde gloriam assequuntur. Alioquin etiam bonitatis proprium est, ut bona quibus quis abundat, promptè & liberaliter in alios transfundat. Verum qui secus agit, et renuit cõmunicare alijs quo abundat, nequaquam bonitatem amplectatur, sed malitiæ adhæret, utpote superbia inuidiaq; turgidus. Et idcirco etiam quod uidetur habere, tolletur ab eo, sicut à seruo illo nummularijs talentum non credenti. Atqui ego bonam partem non delegeram, uehementer optans, si qua possem & alijs tradere quantum mihi datum est sapientiæ: sed uotis frustror, & nec seruis illis fidelibus connumeror, talenti sui usuram facientibus, nec filium philosophum genui. Vnde hinc abeo, quasi quis dicat, miser & orbus: & ut uides, hac de causâ lachrymis faciem fædo, lugensq; ac tristis incedo. His auditis pater Ioannis, quia diu talem thesaurum desiderabat, respondit: Beate, fer æquo animo, & ipse consolare animam tuam, fortè dabit tibi Dominus petitiones cordis tui. Quæ simulatq; dixit pater Ioannis, quàm uelocibus potuit pedibus ad principem Sarracenorum cucurrit, & ad pedes eius prouolutus, Cosmam illū νόστρον & ornatum expetiit. Et statim factus compos uoti, & ingentis precij donum accepit: ductumq; in domū suam uirum, ob itineris difficultates, aliasq; uarias molestias male habitum, benignè consolabatur & refocillabat, adijcens inter cætera & hæc uerba: Ecce posthac non solum liber eris, sed constituo etiam te socium domus meæ, & secundum te dominum parem, gaudij, mæroris, fortunæq; meæ omnis participem: modò hoc unum à dignitate tua mihi exorare liceat, ut Ioannem illum meum naturalem filium, & illum quoq; cognominem tuum, quem ab Hierosolymis pulsū, & tenello adhuc corpore pupillum in filium adoptaui, omnē quam tenes disciplinam ac philosophiā, siue peregrina sit, siue ea quā spiritus sancti gratia dignos edocet, instruas & doceas quàm diligentissimè. Ad quæ uerba sapiens ille exultabat, ceu equus rupris uinculis per campos discurrens, uel sitibundus ceruus ad fontes aquarum contendens. Diceres illum alterum Midam quandam, ingentibus auri thesauris potiturum: tanta alacritate ad opus ferebatur. Suscepit adolescentum curam, & illorum egit præceptorem.

At Ioannes hic noster nelut aquila, beneficio egregiæ indolis, studioq; promptæ uoluntatis, quasi pennis quibus in altum subuolaret, utebatur. Cosmas uerò condiscipulus, & secundum spiritum frater, similis erat naui, quæ alata uelis, pondere per aquas fertur aura secunda, zephyris que à puppi flantibus. Ita ingenij uelocitate, studijq; pertinacia breuī ab eis collectum est, quicquid difficile uel in grammaticis, uel dialecticis, demonstratiuis que scientijs habetur. Moralem autem philosophiam ita didicerunt, ut non solum mentem diligenter exornarent, sed & animæ perturbationes comprimerent. Quin & in naturæ candorem, aliorum oculis uix tolerabilem, sicut perspicaces aquilæ citra conniuentiam intenderunt. Arithmeticas autē proportionibus non minus sceleriter assecuti sunt, quàm uel Pythagoras, uel Diophantes ipse. Geometricen ita edocti sunt, ut Euclides quidā putarētur, & si qui alij his similes. Musici item tales euaserunt, quales eos docti ex carminibus & hymnis quos composuerunt, suis se liquido agnoscunt. Denique in siderali scientia quàm ualuerit Ioannes, ex his quæ scripsit, manifestum est: tametsi obiter egerit de partitionibus, & figurationibus, & ad spectibus & interuallis subsistentiarum cœlestium, tamen etiam breuī illa cognitio prius eruditis ac rudibus satisfaciet. Talis item erat & Cosmas, sed de his agant alij. Nobis Ioannes ipse sermonis huius thema est, & argumentum. Et quis non agnoscat, admireturq; studium illius in diuinis literis, dogmatumq; diligentiam, præsertim se ad Stæchioticon illius librum diuertat, quem elementarium interpretari licet, sed qui omnifaria doctrina refertus sit? Nec aberrabit quis à uero, si dicat admonitionem omnīs recti sermonis, tabulas que Mosais. Sed erant (scio) huius libri præconia non hoc, sed alio loco dicenda: dicta tamen sint, ut cognoscatur, quàm sceleriter institutus sit, nullam que reliquerit disciplinam, quam non diligentissimè tractarit.

Interim admirabile est & hoc, quod tanta scientiæ magnitudine inflatus non sit, sed ut secunda

cunda arbor tanto magis deorsum tendit, quanto fructibus magis oneratur: ita & humiliabatur, non quidem ad terram, sed ad profundiora philosophici pelagi spectabat. Et adhuc munda affectione, quasi nauigio ferebatur. optabat tamē, ne semper hoc mundano uase dimittendo aliquando opus esset, & ut exutis semel humanarū affectionū uestibus omnibus, nuda mente pelagus intrare, & ad fundum ingredi posset, inuenturus repositum illic preciosum margaritum. Huius scopi desiderio, ad fundum profunditatis sese dimittebat. Et habita scientia tam non inflabatur, ut amore arcanioris philosophiæ obtinendæ etiam magis atq; magis humiliaretur. Eratq; lampas animæ eius sic plena mundanæ scientiæ oleo, ut & supernè accenderetur immaterialis scientiæ lumine, sicq; totus luculentus appareret Ioannes. Posthæc magister eius ad amanda meliora (per discipulum, ut apparet) inductus, accessit patrem pueri, & dixit: Ecce desiderijs tuis satisfactum est, & nunc pueri sapientia me antecellunt, nec satis illis est esse, ut magister eorum est, sed ingenij magnitudine & laboribus impensis, ad apicem philosophiæ me ipso sublimiores euaserunt: spero autem adhuc Deum illis sapientiæ donum adaucturum. Proinde cum posthæc illis usui esse non possum, peto ut à te uestitus, in monasterium monachorum concedam, illic summam sapientiam indagaturus, ad quam me transmittit philosophia, quam hactenus colui. Enimvero cum duo proponuntur, consultum est, si liceat, utroq; frui. Vnde & mihi summum lucrum erit, si ad priorem philosophiam adijciam illam, quæ totius expers materiæ & cogitationis metam transcendit, quam mens nuda, & à corpore penitus alienata, doceri potest. Valde doluit super sermone illo pater Ioannis, quamuis uirum retinere non posset, ut ne uideretur fruiolum illi pro eruditjs pueris mercedem reddere. Instructum itaq; largissimè omnibus quæ ad iter pertinebant, & quibus opus habebat, in pace dimisit. Qui in deserto sancti Sabbæ * labran a-biens, illic perseuerando usq; ad uitæ finem, ad ipsammet Dei sapientiam transmigravit. Non multo autem postea, fato concessit etiam pater Ioannis. Tum Sarracenorum dux Ioannem accersitū, inter primos consiliarios constituit. Qui licet renueret, desiderio eius aliorum tendente, attamen ui multa adactus, repugnare tandem destitit, & maiore præfectura quàm pater suus, honestatus est. Moderabatur ea tempestate Leo Isaurius, qui aduersus uenerandas imagines, & orthodoxæ ecclesiæ multitudinem, leonem agebat rapientem & rugientē: & imagines quidem efferus & furibundus exurebat, ipsarum uero cultores rapiens & perdens, tyrannicæ impietatis dentibus miserabiliter dilacerabat. Peruenerunt hæc ad aures Ioannis, & mox imitatus est zelum Eliæ, & reprehendendi libertatem baptistæ cognominis sui, prout inuisibiliter ipsum spiritus docebat. Et antequam iniret certamen, præmisit sermonem oppugnatorem impietatis, ceu gladium quendam & spirituales armaturas, qua dogmatis efferum caput desecaret. Dein epistolares libellos, pro uenerandarum imaginū honore ad notos familiaresq; dedit: clarè sapienterq; indicans, necessariam esse diuinarum effigierum adorationem: illisq; demandauit, ut similia docerent & alios, commonstratis omnibus epistolis suis. Ita per omnium ora uoluitabatus ueritatis athleta, epistolæq; eius in omnium manus quasi per circulum ueniebant, & inualelescebat pietas. Anhelabat enim exemplo Pauli, etsi non pedibus, per epistolas tamen ueritatem prædicando, rotum orbis circulum capere. Id ubi comperit imperator Leo, quia ægrè ferebat impietatem suam traduci per scripta Ioannis, accersitis quibusdam sententiæ suæ participibus, præcepit eis, ut assumpta pietatis persona, magno studio uarijsq; commentis curarent, ut epistola Ioannis quam manu sua scripserat, inuenta sibi redderetur. Ministri ergo & propugnatores impietatis, parentes dicto regis, nullum non dolum sub pietatis specie excogitabant, donec inuentam offerrent. Porro ignominiosus rex conuocat notarios, & epistolarum Ioannis exemplaria proponens, quærit si qui scripturæ characterem, tam in uerbis quàm sententijs imitari possint. Qua in re & inuenit sibi morem gerentes, & qui scriberent epistolium, in hunc modum se habens: Salue ô rex, gratulor & ego imperio tuo, maxime quod eiusdem es fidei. Verum quia & imperatoriam tuam excellentiam singulari prudentia & honestate præcellere intelligo, ideo hæc illi significanda duxi: nempe ciuitatem hanc nostram negligentius custodiri, & Agarenorum præsidium (quantum hic est) imbelle & exigui numeri. Itaq; propter Deum miserere ciuitatis huius, mitteq; omnium nobilium tuorum manum, inexpectatò aduenientem, ac simulantem se aliò proficisci. Es enim ciuitate ciuitate citra omnem laborem potiturus. Ad quod negociū, & ego tibi non mediocri adiumento sum affuturus: nam in manu mea tota fermè & ciuitas & regio est. Hoc itaq; primo actu absoluto, rex impius pari malignitate aliam ad Sarracenum Damasci principem, epistolam scribi fecit, quæ huius formæ: Quum nihil sciam pace beatius, amicitiaq; felicius, & alioqui pacis fœdera seruare laudatissimū, gratissimumq; sit Deo, nihil & ego tanti facio, quàm ut pacis fœdera, quæ cum generositate tua iniuimus, indissoluta custodiantur: quamuis à Christiano quodam familiari tuo crebris euocer epistolis, ut ipsis dissolutis, dolose induciarum iura uiolem: polliceturq; mihi multa, & cum primis, si copiosum aduersus ciuitatem tuam exercitum mittam, sese mihi affuturum, ut securè illam occupem. Vnde unas suarum quas ad me dedit, literarum tibi mitto, ut cognoscas quàm comperta sint quæ ad te scribam, & quàm uerax & constans in amicitijs fœderibusq; seruandis perseuerem. Tu obserua dolosum malignumq; illum, qui ad me talia scribere reueritus non est. Ambas has epistolas rex nomine Leo, animo serpens, per quendam dolose ad Barbarum misit. Quas ubi ille accepit, mox ad se uocato

Ioanni eas commonstrat. Tum Ioannes haud ignarus doli, lectis quæ ad regem datæ erant literis, statim animaduertit literarum characteres imitatione suarum effictos. Verum his, quæ pro sui excusatione apud principem Christi hostem dicebat, tam proficiebat, quam solet lyra apud asinum. Obmutuit enim à bonis: quamuis nõ ita siluerit, quo minus iniustam proferret sententiam. Etenim quamprimùm dexteram Ioanni iussit absecari: & ne paruum quidẽ tempus ad reddendam rationem, & insanas regis declarandas, Barbarus totus furore stupefactus, concedebat. Itaque absecatur dextera, quæ inter orthodoxos scripture sua tantas uirtutes operata est: & pro atramentum, cui prius intingebat, scribendo libros de Adorandis imaginibus diuinis, nunc proprio sanguine tingitur. Abscisam dein à Domino (ut sic uocem) manum, in foro suspenderunt. Et cum uesper factum, coniecit Ioannes furorẽ tyranni resedisse, & misit ad eum legationem, quæ huiusmodi uerbis placaret: Incrudescunt dolores mei, intolerabilesque fiunt, neque mitigatur uehementia doloris, quam diu amputata manus in aere suspensa manet. Iube obsecro, ut mihi reddatur, & recondam eam in humo, quo sequere desinat doloris uehementia. Annuuit protinus precatur tyrannus, & reddita est iusto manus. Qui mox ut eam recepit, lararium suum ingreditur, & pronus ante diuinam quandam imaginem, gerentem figuram genitricis Dei, procidit: & congruè absecta manu adaptata, orabat è profundo pectore, lacrymis & gemitibus misericordissimam inuocando, dicens: Domina & sanctissima mater, quæ Deum meum peperisti, amputata est dextera mea ob sanctas & diuinas imagines. tu qua de causa Leo sæuiat, nõ ignoras: proinde quantocyus succurre. Dextera enim altissimi, quæ de te incarnata est, per tuas intercessionem multas facit uirtutes. Sane oro & hanc meam dexteram tuis precibus, ut tuas, & eius qui ex te incarnatus est, laudes, sicut dederis, numeris rhythmicis & melodijs perscribat, & orthodoxi cultus sit cooperatrix, & Deipara. Hæc orans Ioannes, & lacrymans, in somnum uertitur, uidetque sanctam Dei genitricis imaginem, misericordibus ac lætis oculis ad se respicientem, & dicentem: Ecce sana facta est manus tua, caue posthac ne segnis fueris, sed calamum eam fac scribere uelociter scribentis, quemadmodum nunc pollicitus es. Ut autem restitutus euigilauit, & manum curiosè contemplans, curatam uidit, tum exultare cepit spiritu in Deo salutari suo & matre eius, quia fecit secum magnalia qui potens est. Stansque manibus in cælum sublatis, diuinum carmen accommodatissimum tempori cecinit: Dextera manus tua Domine, glorificata est in fortitudine: Dextera manus tua Domine, hæc meam fauciam sanauit: propterea uulnerabit inimicos, qui sanctam imaginem tuam, genitricisque tuæ non uenerant, & per manum meam aduersarios illos imaginum incendiarios, in multitudine gloriæ tuæ conteres. Erat ei illa nox, non nox, sed dies: non tenebræ, sed lux. ut commutem illud propheta dictum: Erat ibi uox pura festos dies agentium, & uox exultationis in tabernaculis iuri iusti. Neque in occulto, neque clam sunt hæc acta, sed in circuitu usque in uicinas domos admirabilis ille clamor & harmoniaca iubilatio peruasit. Unde & Sarra ceni quidam Christianis infensiores, continuo ad principem suum abierunt, dicentes: Non esse absectam manum Ioannis, sed alterius cuiusdam, serui fortasse, uel alitercunque subornati, qui se pro Domino per beneuolentiam obtulerit: spiculatorum item muneribus corruptos, in alium poenam transfulisse. Interim Ioannes domi sedens, adeo iucundè canebat, ut diceret nuptiales ferias agi, & epithalamiorum hymenæos resonare: imò longè amplior huius uidebatur exultatio. Ad horum autem denunciationem accersitur Ioannes, iubeturque absectam ostendere dexteram. Sed cum ostendisset, uisa est lineola quædam defectionis, quam ita ordinat Dei genitrix, ut amputationis certitudo efficacius comprobaretur. Barbarus ergo ait: Quis ille qui te curauit, Ioannes, & quæ tibi adhibita sunt medicamenta? Cui ille diuini miraculi præco, clara uoce respondit: Dominus meus ille potentissimus omnium medicus, cuius uirtus uoluntate nec posterior, nec inferior est. Et Barbarus respondebat: Quantum coniecto, iniuste passus es homo, quicquid es passus. Veniam ergo nobis da, quod accusationibus iniustis nondum examinatis, supplicio te affecimus. Reliquum, esto posthac primus à consilij nostri principatus, & absque consilio, requisitioneque tua præuia nihil agatur. At Ioannes procidens adorabat humi, & pronus iacens obsecrabat illum, ut secedendi copiam ad aliquantum tempus faceret, quo uiam illam multo amabiliorem incederet, & imitaretur dicentem: Ego sum uia. Diu Barbarus oblectabatur, & secessum abnuebat. Eratque uidere, quasi singulari certamine contendentes, barbarum & iustum. Barbarus omni studio uinculis mundi retinere Ioannem nitebatur: Ioannes autem ea magno impetu & uolentia dirumpens, angelicis uolabat alis. Apertum itaque stadium magnum erat, præsidente spectaculi institutore Christo, & spectantibus angelis. Dicit autem forte quis ex altera, hoc est, ex sinistra parte, barbarum & ab impijs incitatum, & ad persuadendum armatum. Denique singularis meus pugil, multa renunciatione uicit, omniaque aduersarij argumenta ceu tela puerorum refutauit: uictorque caput insigni uitta redimitus, redit domum uultu hilari, qui antea tristi exierat. Verum cum duo in manibus haberet: unum, ut iuxta mandat Domini uenderet omnem substantiam suam, & distribueret pauperibus: alterum, ut dimitteret agros, domos, & alia omnia propter nomen Domini: in utroque diligens fuit. & circa primum quidem, ne mora in periculo esset: circa secundum uero, ne (ut fieri assolet) prætextu aliquo iuris orirentur lites, ac pugne consanguineorum, dum uarias quisque causas afferunt, quasi iusti hæredes sint ipsi. Facultates enim, ut potuit, diuisit pauperibus, captiuis, seruis suis, quos cognatis, templisque sanctis obtulit, libertatæ donauit.

Ipse uero sicut exiuit nudus de uentre matris suae, ita nudus exiuit mundum: exceptis his, quae maximè necessaria erant. Et primùm profectus Hierosolymas, factaq; in uenerabilibus locis adoratione decenti, mox uelut ceruus sitiens Deum, in deserta abiit, & ad beati Sabbæ monasterium perrexit, comite eiusdemq; instituti socio beatissimo Cosma, qui ei antea & conuictu & disciplinatu coniunctus fuit. Rectè diceres ipsos sacrum par, currere ad iugum Dei, certicibus suis ferendum. Itaq; Ioannes ipse (qui sermonis nostri argumentum est) ingressus est sanctum illud monasterium: & prociens ad pedes pastoris, suppliciter obsecrabat, ut se inter oues suas adlegeret. Vocabat autem se erraticam & perditam illam ouem, & ex desertis montibus nuper reueriam ad Dominum Christum. Quae res praefectum gregis magno gaudio afficiebat, beatum hunc uocantè, ob institutum suum. Operæ precium uisum est illi, ut ob uitæ claritudinem, scientiaeq; praecellentiam, tantum nouitium praestantissimo seni cõmendaret: sub quo ut uice praefecto constitutus, certius in uia Domini instrueretur. Eam ob rem primò accersit senem, quem bonis omnibus inter monastias praecellere arbitrabatur, conabaturq; illius manibus formandum assignare Ioannem. Verum is renuebat, imparem sese asserens regimini talis uiri, qui tanta sapientiae gloria praeditus esset. Post hunc uocat alterum, qui & ipse eadem quae primus respondit. Accessit post hos tertius, & deinde alij non pauci, ceperuntq; simili uoce omnes ab instruendo Ioanne abhorre. Deniq; post multos ingressus quidam senex, moribus simplex, scientiam expertus: hic alacris alacrem Ioannem amplexatus, secum in priuatam cellam abduxit. Et principio bonum fundamentum substruens, praecipit, Ne quid propria uoluntate faceret: Ut sudores laborum, perseuerantiam precum, & oculorum lacrymas Deo offerat: Ut uitæ superioris maculas lacrymis ablueret & purgare studeat: Lacrymae enim si puræ sacrificentur, super omne aliud thymiam a Deo acceptantur. Et ad hæc quidem, quasi ad corporalia primùm hortatus, subiunxit & de his quæ ad animam pertinent: Ne imagnetur mundana phantasmata: Ne sibi rerum indecentium figuras praepingat: Ut mentem ab animi uana inflammatione praeruet: Ne scientiarum magnitudine extollatur, ut persuadeat sibi ea quæ didicit, ex toto apprehendisse: Ne admittat desiderium uisionum aliquarum, absconditarum uel reuelationem: Caueat, ne unquam sibi persuadeat, menti suæ posse confidere: Nullam securam putet scientiam, usq; dum separetur mens a corpore: Liquidò & diligenter agnoscat cogitationes suas: In periculis captet consilia: Ne permittat cogitationes suas diuagari: Incumbat autem in hoc, ut quàm diligentissimè coaduniat, quo mens a Deo illustretur, purificetur anima, sanctificetur corpus. In summa, corpus cum anima coadaptetur menti: ut cum duo modabilia, corpus uidelicet & anima, transferantur & transelemententur in tertium & primum, nempe mentem, fiat triplum illud simplex per unionem ad trinitatem simplicissimam, & fiat homo non carnalis, neq; animalis, sed spiritualis totus. Ita pater filio, & magister discipulo praescribebat, adijciens simul & hæc monita: Ne ad aliquem miseris epistolam: Ne omnino loquaris aliquid externæ disciplinae: Silentium cum intelligentia exerce: nam hoc scio, non nostrorum duntaxat philosophorum esse praecipit: nam & Pythagoras ille Samius, discipulis nuper ad discenda philosophiæ suæ mysteria admissis, multorum annorum silentium imperauit. Ne putet bonum esse, bona intempestiuè loqui. Et ad hoc te inducat Dauid, dicens: Quia filii a bonis. Et addens post hoc, quid inde emolumenti consecutus sit, audi: Concaluit, ait, cor meum intra me, igni omnis amoris ad Deum. In meditatione autem mentis, ignis ille propheticus accensus est. Hæc Ioanni senior mandabat, nequaquam uel in aquam scribens, uel super petram seminans, sed planè in terram bonam. Cæterum praeterijt tempus aliquantum, & Ioannes uarijs a se tentationibus eruditus, in omnibus obedientiam (quæ sola citra periculum est) declarauit. Non contradicebat si quid iniungeretur: non obmurmurabat lingua, sed neq; cogitatu interno aliquo, his quæ propositus decreuisset, oblectabatur. Vnum hoc quod Paulus praecipit, ut absq; murmure & disceptatione perficiantur imperata, in omni opere, in medio pectore, uelut profundè in tabula scriptum, occultè gerebat, ac meditabatur. Quod enim lucrum facienti bonum qualecunq; si resederit in labijs obmurmuratio, insidieturq; in pectore sicut serpens, disceptatio maligna: Quando melius habebit anima, sic ministrans? Et hæc causa est, quod multi laborant, & frustra, ad eaq; quæ ante sunt, gressum malè promouent. Laborant enim ideo, ut ipsi inter uirtute claros habeantur. Deinde senex, ut athletam maioribus obedientiæ certaminibus exerce-ret, tale quiddam commentus est. Multos corbes comportauit, quos labore manuum suarum monachi parauerant, & sumpta inde probandi occasione, sic ait ad Ioannem: Fili, ut scis, pluribus nobis opus est: & quia accepimus Damasci corbes pluris uenundari, quàm in Palaestinae regionibus, itaq; tolle illos omnes, & uade illuc quàm uelociter potes. Verum non aliter, neq; minoris illas uenundes, quàm tibi praecipio. Definiebat autem precium ultra duplum, quàm par erat. Non contradicebat Ioannes, neq; sermonè imperantis iudicabat, obedire usq; ad mortem paratus: sed sublato in humeros onere, quasi alatus obedientia, Damascum proficiscitur. In qua pridem spectabilis, nunc uiliter uestitus, pallidus & obsoletus, obambulabat foro sportulas uendituriens. Verum cum nimio precio sua aestimaret, ab omnibus ridiculus est habitus, & nihil preter iniurias & conuicia accepit: donec tandem unus ex his qui ei olim ministrarant, faciem eius diligētius intueus, agnosceret quis esset, & qualis olim fuisset ille, qui iam tam malè uestitus, tam demissus,

demissus, tam cōtrito corde. Is quasi nihil conscius rei, rogabat preciū sportularū: statimq; quantum indicabatur, dinumerauit. Ioannes autem accepta pecunia, ad suos regressus: & aduersario, qui uanæ gloriæ parēs est, ac autor, in puluerem proiecto, strenuus, & quasi uictoria potitus, domum peruenit. Vicinus quidam monachus, terreno incolatu pro cœlesti mansione commutato, ad Deū migrauerat. Huic erat frater secundum carnem, qui mœrore grauatus, parum equiter mortem fraternam ferebat. & cum à Ioanne consolatorijs sermonibus affectiones eius sisterentur, orabat eum lugens, ut uersiculum aliquem sibi excuderet, quo animum refocillaret, & dolorem excluderet. Verebatur autem Ioannes mandatum senis, & petitionem refellebat. Sed enim ille instantius efflagitabat, & dicebat: Vt quid non misereris animæ afflictæ? Cur non uel paruum aliquod ad mitigandum dolorem ordinas remedium? Si corporum medicus esses, & corporali ualerudine laborarem, tuq; renueres pro facultate tua mihi pharmacum administrare, dolenti grauius, & fortè lethaliter, nōne me despiciēs, pœnas à Deo suscepturus esses? Nunc uerò cum maiori dolore laboro, & me despicias, nonne pœnas à Deo longè maiores expectabis? Scias repositum fore, siue feceris, siue non, exaudieris. Flexerunt preces illæ Ioannem, qui & uersiculum super mortuo composuit, qui in hanc usque diem omnium ore canitur. Est autem talis, *ὡς ἄρα περὶ τὴν τὰ ἀβυσσῶν*: Omnia uanitas quæ humana. Digressus fortè à cella sua, præceptor Ioannis aberat. Ioannes uerò intra cellam modulatus uersiculum de sancto Ioanne cantabat. Quod senior adhuc foris existens audiens, uehementer succensus est, & ait: Oblitus ne es primarum promissionum tuarum, & pro lugente ac tetrico, dissolutus sedes & deliciarum? Enarrat Ioannes seni causam, præmittensq; luctum quasi magnam uim passurus, prono casu ueniam flagitat. Verum senex stans ut lapis, uel circus, nihil mouebatur precibus, ipsum protinus foras cellam eiciens. Tum uir ille admirabilis in memoriam referens primorum parentum inobedientiam, quam propter e paradyso fuere expulsi, ignorabat uel quid ageret, uel quò se uerteret. Amplius autem lugebat & fratrem qui se eiecerat, talia dicens: Ille quidem fratrem se abiecit, ego autem per inobedientiam perdiidi animam meam. Tandem accessit ad senes quosdam uirtute præstantes, quos ad magistrum suum nuncios mittit, ut illum orent, placent, demulceant, & ut Ioanni hanc noxam condonet. Quibus adeuntibus & rogantibus, senex quasi statua nihil flectebatur, negabatq; omnino discipulo reditum in cellam. Et dicebat monachorum quidam, Posses saltem ei qui peccauerat, aliud mandatum iniungere, & non mōx à contubernio tuo expellere. Tunc placatus, inquit: Si uolet hanc inobedientiam sibi dimitti, id mandati faciat oportet, ut transiens per circuitum nostræ labræ, id est monasterij, per seipsum in singulis monachorū cellis sordidū domūculas & latrinas expurget. Perfidit hic sermo patres rubore, unde & ob rigorem senis stupefacti, & subtristes abierunt. Quibus Ioannes occurrens, seruataq; solita pœnitentiæ humilitate, interrogabat de patris sententia. Illi autem responderunt, adeò se stupefactos austeritate senis, ut uereantur sententiam eius eloqui. Non cessabat tamen rogare Ioannes, quamuis multum erubesceret. unde patres persuasi, deformem illam expurgationem narrant. Ipse uerò sententia (præter spem omnium) ualde lætatus, inquit: Id mihi facile erit, atq; adeò uoluptati summæ. Igitur è uestigio abit, & cōquisitis acceptisq; scopis, nec non alijs purgatorijs instrumentis, cellā eius qui propius senem habitabat accedit: eamq; ingressus, manus illas inquinare cœpit, quæ multis antea aromaticis odoribus fragrabat: dextramq; illam à Christo medicatam, luto ac stercore conspersit. O miram uiri demissionem. Vt ergo senex probauit multifariam Ioannis obediētiam & profunditatem, immo altitudinem magnæ uerq; humilitatis, occurrit, in brachia suscepit, ceruicem eius amplexatus est, oculos & faciem demulsi, humeros deosculatus est, & ait: Quam beatæ obediētiae athletam ego genui in Christo. Ioannis autem senilibus sermonibus adhuc magis erubescere: iterumq; pronus cadens, quasi coram Deo prostratus, lachrymis terram rigauit. Nō enim sermonibus paternis inflabatur, neq; senilibus præconijs intumescerebat. Ita enim se rem habere scio, intelligentes laudibus humiliari, præconijs contristari, & ad Deum magis extolli. Post hæc pater filium subleuat: & arrepta manu, in cellam cum gaudio inducit. Diceres rectè, Ioannem in Eden restituit, in quo prius primū Adam per inobedientiam figurabat, iam nouum effigiabat Christum, per summam illam quam in se ipso declarabat obediētiam. Non multo post uidit senex in somnium purissimum, & audiuit uocem: Vt quid fontem obturasti, qui profundere posset tam dulce flumen, tanquam nectaream aquam? aquam ad refocillandas animas, aquam quæ gratior ea, quæ raro miraculo è petra scaturit, aquam quæ bibere Dauid desideraret, aquam quam Samaritanæ Dominus dedit: permittite fonti cursum. Fluet largiter, & in omnem orbem terrarum ueniet, aquam copiosam, quæ hæresium maria obteget. Sitientes ad aquam hanc festinanter ueniant. & quibus non est argentum uitæ puræ, distractis affectionibus suis, à Ioanne mercentur omnem in doctrinis & operibus synceram puritatem. Hic accipit propheticam citharam, & Dauidicum illud psalterium, & cantabit cantica noua, cantica Domino Deo, transcendet carmen Moysi, & modulationibus choraulianæ Mariæ: fabulæ erunt Orphei stultæ melodix. Hic cantabit hymnos cherubicos, hic imitabitur ecclesias & filias Hierusalem. Hic adolescentulas faciet tympanistras, cantantes canticum nouum Domino, annunciantes mortem Christi, & resurrectionem. Hic rectè docebit fidei dogmata, & hæresium distortas obliquitates infamabit, eructabitq; cor eius sermones bonos, & dicet mirabilia opera regis. Sub diluculum autem ipsum, pater qui noctu

IOAN. DAMASCENI VITA

etu arcanis initiatus, Ioannem ad se uocauit, & inquit: O' fili obedientiæ Christi, aperi os tuum, ut
 attrahas spiritum: immo quem prius in corde tuo concepisti, per os tuum eructa. Os enim tuum
 loquetur sapientiam & intelligentiam, quam nunc multo tempore in corde tuo meditatus es.
 Aperi os tuum non in parabolis, sed ueriloquijs: non in ænigmatibus, sed dogmatis. Loquere ad
 cor Hierusalem, qui uidet Deum, pacificæ scilicet illius ecclesiæ non sermones temerè & in aerem
 fluentes, sed quos in pectore tuo spiritus sanctus scripsit. Ascende in montem Sina, uisionum &
 reuelationum Christi: & sicut te humiliasti in abyssos uariæ humilitatis, ita nunc ascende in mon-
 tem sanctæ ecclesiæ, & prædica euangelizans Hierusalem, in fortitudine exalta uocem. Gloriosa
 enim dicta sunt de te. Ignosce autem mihi, si qua in re obstaculo tibi fui. Ex ea hora cæpit Ioan-
 nes hymnorum cantilenas, & melliflua cantica concinnare, quibus adhuc lætificat ecclesiam, &
 locum tabernaculi admirabilis, ubi auditur sonitus festa celebrantium. Præterea autem & pane-
 gyricos sermones tradidit, sacramq; paginam à Deo conscriptam exarauit. Insuper in mysteria
 theologiæ, & aliorum ueræ fidei dogmatum, succinctiorisq; tam intelligibilem, quam sensibi-
 lium considerationis, ianuam introductionis, & egregiam inuitationem scripsit, quam ego Cæ-
 lum uoco: quia tanquam stellis fulgebat, rectis demonstrationibus, collectis à scientia tam natu-
 ræ, quam scripturæ. In eum librum qui non respicit, & eius pulchritudine non oblectatur, is ni-
 mirum uel cæcus uel excæcatus est. Miserum autem dico, qui tam diuinitus inspirata indignè tra-
 ctat. Præterea longos aliquot sermones conscripsit. Item libros de præclara adoratione uenera-
 bilium imaginum. Habebat huius laboris adiutorem Cosmam, fraterna fide adiuuantem,
 quem & alias fratrem in diuino spiritu fortitus est, qui & studiorum & educationis & monasticæ
 exercitationis socius fuit. Qui & ipse Ioannem in spiritualibus canticis feliciter imitatus, & ca-
 nora ecclesiæ cantica succinuit in cithara & uoce Psalmi, corpus suum (affectus mortificando)
 Deo in tympanum exhibens: seipsum autem in Psalterium decachordum, in chordis quinque
 sensuum, & paris numeri animi uirtutum. Cosmas ille episcopus Maiumanus à patriarcha Hiero-
 solymitano ordinatur, licet ui adactus. Qui ubi commissum gregem rexit bene, & omnino
 sicut Deo gratum, deinde in senectute bona, ad patres suos abiit, immo ad Deum migravit. Idem
 Hierosolymorum gubernator, diuina inspiratione etiam Ioannem uocat, & ut ex cathedra se-
 niorum Deum laudet, presbyterum ordinat: qui tamen mox ad diui Sabbæ speluncam rediens,
 & in suum nidum (ut dicitur) ceu sublime uolans aquila ingressus, non hoc sapiens dictum se-
 cum uersabat, Presbyteros gemino dignandos honore: sed dictum ipsum aliquatenus immuta-
 bat, contraq; se uertens dicebat: Presbyteris curæ esse debere geminam humilitatem, presbyte-
 ris in duplum esse laborandum, nempe & in his quæ animæ, & in his quæ corporis. Sunt au-
 tem in nobis perquam multa, quæ etiam ab his qui se multum exercent, incognita sunt, nisi ual-
 de sobrii sint, maxime si internum hominem contemnant. Occulta igitur illa (qualia sunt frau-
 des, inuidia, suspicio, latens arrogantia, uana mentis occupatio, mores intrinsecus tabidi & cor-
 rupti, inflatio ex humilitate corporis, continentia cum uoluptate, propriæ uoluntatis uendica-
 tio) Ioannes ut è mente sua radicitus euelleret, labores laboribus adiciebat, & in primis spiritua-
 les. Quippe ea quæ prius lucubrauerat, denuò sub incudem reuocans, diligenter considerabat,
 & recognoscebat, corrigens & uerba, & sententias, castigans dispositionem, honestans si quid
 luxurians, & immodicè florulentum occurreret: cauens magnopere, ne sermones sui uel osten-
 tatione, uel leuitate uoluerentur. Etenim sapienti cuique uidere licet (modò lucubrationes eius
 adspiciat) quo modo sermonis grauitati decorem, sententiarumq; sublimitatem coniunxerit. Iam
 quis zelum eius pro pietate ex sermonibus eius satis laudauerit, quòd omnibus sapientiæ diui-
 tias tam liberaliter distribuerit? Adeptus enim scientiæ talentum, ipsum non in duplum modò,
 sed & in duplum multiplicauit. Parcior sum augendo numerum, ne terminos euangelicos trans-
 gredi uidear. Nam quod ex Damasco, & postea ex Palæstina in eos, qui uenerabilium imagi-
 num in Constantinopoli direptores erant, & contemptores, inuectus est, nihil eum aliud impu-
 lit, quam zelus diuinus. Vnde Megalopolitanum illud egregium decus, cui cum protomartyre
 Stephano nomen commune, qui & sicut ille lapis pro Christo, & pro imagine eius ad cælum re-
 currit. Is meminit sermonum, & contradictionum eius aduersus impios absentes, uocans eum
 uenerabilem atque deiferum. Et licet summo sacerdotio initiatus non sit, si tamen ueritatem ser-
 uaueris, uidebis & martyrii redimiculis uiri caput cinctum. Propter quam enim causam manus
 sibi desecta, quam quòd ob pietatis zelum oborta sibi fuit calumnia? Postremū, postquam sic ui-
 uens cõsummauit monasticæ exercitationis cursum, tenuit fidem, immo dilatauit lucubrationi-
 bus, confirmauit doctrinis, & apud posteritatem cui profuit, solidauit, continuauit & conserua-
 uit: tandem ad Christum quem dilexit ascendit. & nunc illum non imagine uidet, nec in effigie
 adorat, sed detecto uultu gloriæ beatæ trinitatis facie ad faciem spectat. Quapropter oportet
 hunc athletam, hunc ascetam, hunc ecclesiæ adornatorem, ueritatis assertatorem, exercita-
 tioneq; ac dogmatum scientia conspicuum, dantem intelligentibus non intelligentibus, præscri-
 bentem decreta rudibus: hunc inquam oportebat pro uirili nostra laudatoris sermonibus effere,
 non quasi ei aliquid gloriæ dicendo addamus, sed ut ipse nostri uicissim memor sit in cælis:
 utq; nos adhuc in terris peregrini, cælesti gloria precibus suis adimpleamur: illa inquam glo-
 ria, quam Dauidis testimonium filij regis tribuit, & intra regiam animam habitare perhibet, di-

PER IOAN. PATRIARCH. HIEROSOL.

cens: Omnis gloria filia regis intrinsecus. Et o beatissime, ignosce mihi, proq; me apud Deum feruens & irrepudiabilis intercessor esto, eo quod bonum hoc conuiuium ab alio instructum licet tumultuario, & ut potuit homo ille, ego ingenti desiderio, & summa diligentia in hunc fermonem transtuli, dolens hunc in Arabum sermone iacere neglectum. Incitatus autem sum, quod & ego tuo nomine gaudeo. Diligentiam autem tua benigna uisitatio adiunxit plurimum. Fac obsecro & me (tametsi corpore adhuc peregrinum) trinitatis adoratorem, non carnalem, sed spiritualement. Fac totum hinc corpore abscedentem, totum contemplationis amore peregrinum, totum holocausto amoris diuini consecratum: & cum e carne migraturo, nullis adherentibus affectionibus, fiducia bona tecum coram Deo statuar: quem decet omnis gloria, honor, & adoratio, nunc & in secula: Amen.

FINIS.

EIVSDEM IOAN. DAMASCENI VITA,
ex Suida.

Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνός, ὁ ὑπὸ κληθεὶς Μανσὺρ, ἀνήκειν ἐπιλογισμῶν τῆς
Ἰουδαίας δούτορος τῆς ἡσυχίας αὐτὸν ἐν παιδείᾳ λαμβάνων. συγγραμμά
τα αὐτῆ πάντων πρὸς τὸν ἑαυτοῦ, ἔστι μάλιστα φιλοσοφία. εἰς τὴν τῶν θεῶν γραφῶν παρὰ
ληθοῦς ἡσυχίας ἐκλογῶν, ἢ οἱ ἀσματικῶν ἡσανόντων ἰαμβικῶν ἢ ἡσυχιαλογῶν δὲ
σωμῆμα γὰρ αὐτῶν καὶ Κοσμάς, ὁ ἐξ Ἰδουσαλῶν, ἀνὴρ διφθῆσαι τὸ, καὶ
πνίον μοναστῆ ὅλων τῶν ἐναρμόνιων. οἱ γὰρ ἀσματικῶν ἡσανόντων Ἰωάννης τῆ
ἢ Κοσμά, σύγκεισιν οὐκ ἐδέξαντο. οὐδέ δεξάντο, μέχρις αὐτῶν ἡμῶν βίος
πρόβαιωθήσεται.

E A D E M L A T I N E.

Ioannes Damascenus, cognomento Mansur, uir fuit eruditione & eloquentia præstantissimus, maximèq; nominis, nec ulli eorum qui sua ætate doctrina claruerunt, secundus. Scripta eius extant ualde multa, maximèq; philosophica: Canones cum in sacram scripturam, selecti, & in cõsentientem ordinem redacti: tum canticum, partim iambici, partim solute orationis. Eodẽ etiam tempore floruit Cosmas Hierosolymitanus, uir ingeniosissimus, & omnino Muicam illam elegantem & eruditam spirans. Ioannis certe & Cosmæ canones illi canticum, fuerunt hæctenus supra omnem cõparationem: neq; quicquam illis comparari poterit, quoad nostrum æuum consummabitur.

E X V O L A T E R R A N O.

Ioannes Damascenus, Damasci natus, Hebræus puer, Constantinopolim uenit: ubi liberalibus artibus legitimè imbutus, & ad Christum conuersus, monachi habitum sumpsit, simul & docebat. Captus deinde in littore maris, à piratis Saracenis: postea à Theodosio redemptus, magister eius epistolarum fuit. In suspicionem proditoris ueniens, dextera ei ablata est. Verum postquam depræhensus, cui literas proditorias stilo Damasceni probe assimilauerat, in honore apud Imperatorem fuit. At ille in cœnobium regressus, ibi decessit. Scripta eius utilia, ab utraq; recipiuntur ecclesia.